

ponatur Deo. Et sic ille actus non est actus electionis, neque effectus ipsius intentionis ab ipsa derivatus, sed est pars quædam ipsius actus intentionis; seu inadæquata ratio illius, quatenus in illo actu involvitur dilectio Dei super omnia, et ly super omnia explicatur illo actu, et sic magis est explicatio quædam illius actus, quam diversus aliquis actus ab ea effectus, et derivatus.

XLVI. Antecedenter autem fieri potest ille actus quatenus procedere potest ab appetitu naturali voluntatis, quem habet vivendi secundum rationem, quem appetitum non esse virtutem moralem (quia hæc est habitus electivus, et versatur circa media) sed aliquid altius virtute morali tamquam principium quoddam et seminarium virtutum moralium existens in voluntate, docet D. Thomas infra q. LXIII, articulo primo, in corpore et articulo II ad tertium. Talis autem appetitus boni secundum rationem cum non sit virtus moralis, quæ est electiva mediorum in materia determinata, sed aliquid altius virtute, et quasi inchoatio quædam, seminariumque virtutum, non respicit media, sed finem, quatenus propria hominis perfectio est vivere et operari secundum rationem, et hoc accipitur ut finis naturaliter a voluntate desideratus, quia naturaliter inest appetitus boni secundum rationem, etsi non explicite consideretur Deus, ex illo enim universalissimo principio a syndæresi tacto: Declina a malo et fac bonum, deducitur, et innascitur in voluntate iste appetitus boni generalissimus. Ad quem appetitum an sufficiat ipsa sola potentia voluntatis, an requiratur aliquis habitus superadditus correspondens syndæresi, variant theologorum placita, de quibus agemus infra circa dictam quæstionem LXIII, disp. XVI.

XLVII. Ex quibus colligi poterit a

qua virtute eliciatur iste actus: Volo studiosè vivere, potest enim elici a charitate si actus ille sit supernaturalis perfectus, et efficax, vel si sit imperfectus a pia affectione supernaturali, quæ antecedit finem, et est actus concupiscens bona supernaturalia repromissa, ut dicam in materia de fide. Similiter et actus oppositus: Volo peccare, ab habitu odii Dei. Potest etiam elici actus ille bonus in ordine naturali ab illo naturali appetitu boni secundum rationem, quod est principium, et seminarium virtutum, et oppositus actus: Volo peccare, ab appetitu depravato, quo quis conatur vincere hunc appetitum, etsi totaliter non possit extinguere, potest tamen ad id conari depravata voluntas.

XLVIII. Quod si dicas: Nam D. Thomas 2-2, q. XVII, articulo I dicit: « Quod ubicumque invenitur aliquis actus hominis bonus respondet alicui virtuti. » Et quæst. LXXXI, articulo II: « Quod necesse est dicere omnem actum bonum ad virtutem pertinere, » respondetur ita esse, sed non oportet hoc solum intelligere de virtute electiva, aut strictè dicta, sed etiam de ea quæ versatur erga finem, ut charitas et spes, vel quæ est principium, et seminarium virtutum, et eminentiori modo est virtus. Quod vero objicitur de metaphysica, dicimus ipsam non attingere omnium scientiarum conclusiones elicitive, et proxime, posse tamen attingere quasi imperatîve, et remote, quatenus potest principia aliarum scientiarum defendere, et explicare, et earum conclusiones corroborare. Et eodem modo in voluntate potest aliqua virtus imperare aliis virtutibus moralibus, ut charitas, religio, justitia legalis, aut etiam dirigere, ut prudentia.

XLIX. Ad ea quæ in hac tertia difficultate restabant expedientia, et supra posita sunt, respondetur quod

ARTICULUS III.

Quomodo finis, et aliæ circumstantiæ sint principia bonitatis, vel malitiæ moralis?

I. Multa quæ pertinet ad finem quantum ad munus specificandi, vel circumstandi tractavimus supra quæst. I, articulo III, circa tertiam difficultatem. Ut autem possimus in præsentibus difficultates aliquas expedire ad intelligendum quomodo finis sit principium moralitatis, et quomodo actus ab illo moralitatem habeat, aliqua ex his quæ ibi diximus breviter hic supponenda sunt.

II. Et primo suppono, distinctionem illam finis, quod alius est finis operis, alius operantis: qua distinctione cognita, etiam aliæ divisiones finis innotescunt, quæ circa finem versantur, et idem fere explicant quod ista prima divisio. Vocatur finis operantis, ille qui ex intentione operantis habetur: finis operis, qui ex propria natura, et tendentia actus. Et ideo finis operis est objectum ipsum ad quod terminatur actus, quia actus terminatur, et finitur in attingendo suo objecto. Quidquid ultra objectum ab actu attingitur, non ex natura, et propria ratione talis actus est, sed ex directione, et ordinatione alterius actus imperantis. Finis autem operantis est id, quod tendit intentio operantis, et ideo licet talis finis respectu intentionis sit objectum, tamen respectu aliorum actuum est movens, et finalizans, et quia operans efficit alios actus juxta quod movetur ab intentione, et juxta finalizationem, quam ab illa accipit, ideo dicitur finis operantis, quia non est tantum objectum, et finis unius actus, sed operantem movet, ut alios actus efficiat, et ad illos dirigit, atque impellit.

I. Multa quæ pertinet ad finem quantum ad munus specificandi, vel circumstandi tractavimus supra quæst. I, articulo III, circa tertiam difficultatem. Ut autem possimus in præsentibus difficultates aliquas expedire ad intelligendum quomodo finis sit principium moralitatis, et quomodo actus ab illo moralitatem habeat, aliqua ex his quæ ibi diximus breviter hic supponenda sunt.

II. Et primo suppono, distinctionem illam finis, quod alius est finis operis, alius operantis: qua distinctione cognita, etiam aliæ divisiones finis innotescunt, quæ circa finem versantur, et idem fere explicant quod ista prima divisio. Vocatur finis operantis, ille qui ex intentione operantis habetur: finis operis, qui ex propria natura, et tendentia actus. Et ideo finis operis est objectum ipsum ad quod terminatur actus, quia actus terminatur, et finitur in attingendo suo objecto. Quidquid ultra objectum ab actu attingitur, non ex natura, et propria ratione talis actus est, sed ex directione, et ordinatione alterius actus imperantis. Finis autem operantis est id, quod tendit intentio operantis, et ideo licet talis finis respectu intentionis sit objectum, tamen respectu aliorum actuum est movens, et finalizans, et quia operans efficit alios actus juxta quod movetur ab intentione, et juxta finalizationem, quam ab illa accipit, ideo dicitur finis operantis, quia non est tantum objectum, et finis unius actus, sed operantem movet, ut alios actus efficiat, et ad illos dirigit, atque impellit.

III. Hinc nascuntur diversæ acceptiones, et divisiones finis, scilicet finis intrinseci et extrinseci, remoti et proximi, specificantis et moventis; quæ omnes coincidunt cum divisione illa finis operis, et operantis, aut magis illam explicant. Nam quia finis intentus movet, et dirigit ad alios actus, qui post intentionem sequuntur, et respectu illorum extrinsece se habet, quia solum ad illos movet, non eos specificat, et consequenter non attingitur proxime ab illis actibus; sed remote, utpote ex alio movente, et dirigente, ideo finis operantis vocatur etiam finis movens, extrinsecus, et remotus respectu actuum ab eo imperatorum: finis vero operis vocatur etiam proximus, extrinsecus, et specificans, quia objectum actus est: sicut velle dare eleemosynam habet pro objecto, seu fine operis ipsam largitionem eleemosynæ, sed si detur propter Deum, vel propter vanam gloriam, aut propter alium respectum, ille respectus dicitur extrinsecus actui, quia ab alio actu sibi extrinseco, scilicet ab intentione provenit. Et quando plures ex his respectibus aliquis multiplicat in operando, tanto magis dicitur ex intentione operari, et secundas intentiones habere.

IV. Hinc deducitur, quomodo finis computetur inter circumstantias, et quomodo specialem modum inter ipsas habeat, et speciali modo sit principium moralitatis in actibus. Est quidem circumstantia, quatenus finis operantis, et intentio ipsa extrinseca est actui imperato, quia non pertinet ad ejus objectum, et consequenter non præbet ipsi actui speciem, et substantiam, sed extra illam est. Quidquid autem non præbet speciem, quidditatem actu, accidentaliter comparatur ad illum, et circumstare dicitur. Finis autem ut finalizans, et movens extrinse-

cum non influit ut objectum, sed ut causa finalizans, et movens ipsum optantem ut efficiat: et ideo extrinsecus se habet ad talem actum, et ex hac parte induere potest rationem circumstantiæ. Sed ex hoc ipso etiam inter circumstantias habet specialem influxum, et principalem locum, quatenus ita circumstat, quod finalizat, et dat motivum, seu rationem faciendi; reddimus enim rationem quare hoc, vel illud faciamus, scilicet quia ob talem finem, et ex tali intentione operamur. Dependet ergo bonitas actus specialiter modo a fine, scilicet tamquam a motivo, et ratione propter quam operamur. Quare finis respectu actus intentionis non est circumstantia, sed objectum; respectu vero actus imperati, et directi ab intentione non est objectum specificans, sed causa finalizans, quatenus voluntas ex uno actu movetur ad alium, ex intentione ad electionem, ex fine ad media, sicut intellectus ex principiis ad conclusiones. Et sic pro ea parte qua finis est objectum intentionis non est circumstantia ejus, sed specificativum: pro ea vero parte qua est dirigens, et movens ad alios actus inde derivatos est movens extrinsecum, et potest moralitatem influere, sicut circumstantia, et sicut dans accidentalem bonitatem actui, id est, superadditam ad eam, quam habet ex objecto proprio.

V. Et in his omnibus loquimur de specie morali in linea, et genere morali, et non solum in genere naturali. Nam etsi totum genus morale comparatum ad entitatem actus in genere naturæ sit accidentale, tamen etiam intra ipsum genus, et lineam moralem aliquid datur specificativum, et aliquid accidentale, et circumstans: sicut quod eleemosyna, et jejunium fit bonum, ex objecto habet, et hoc est specificati-

vum illius in genere virtutis, et moris; sed quod ultra hanc bonitatem habeat etiam bonitatem alicujus finis, ut quod fiat in pœnitentiam, vel in cultum Dei, aut quod fiat in tali tempore, aut loco, unde magnum bonum provenit aliis, est bonitas superaddita, et accidentalis.

VI. His suppositis, ad videndum quomodo finis præbeat moralitatem actibus tamquam circumstantia, et movens extrinsecum, septem difficultates explicandæ sunt. Prima, quomodo finis influat moralitatem in actum imperatum, et exteriorem tamquam circumstantia, cum respectu ejus se habeat ut principium dans rationem formalem appetibilis, et voluntarii, eo quod media habent appetibilitatem ex fine, sicut conclusiones habent intelligibilitatem, et scibilitatem ex principiis. Unde videtur esse complicatio, et repugnantia quod actus respiciat finem accidentaliter, id est, ut circumstantiam, et ex alia parte dependeat ab ipso essentialiter in ipsa ratione formali appetibilitatis, et bonitatis; secunda, de quo fine loquitur D. Thomas quando dicit esse circumstantiam, an solum de fine ultimo; an etiam de intermedio; tertia, quænam relatio requiratur in actu erga finem ut ab eo participet bonitatem, et moralitatem, an requiratur actualis, vel virtualis; et quantum ista duret; quarta, an ista bonitas, quæ participatur a fine sit distincta ab ea, quæ participatur ab objecto, et quomodo attingatur eodem, vel diverso respectu, ita quod illa, quæ est a fine, sit accidentalis, quæ ab objecto, specifica; an vero sit bonitas finis specifica in omni actu derivato ab ipso, etiam in actu exteriori. Quinta, an sit intrinseca actui exteriori bonitas participata a fine; an solum per denominationem extrinsecam. Sexta, quomodo bonitas, seu moralitas ex fine di-

catur generica respectu moralitatis participatæ ab objecto. Septima, an conjugat eundem actum participare malitiam a fine, et bonitatem ab objecto, vel e converso.

PRIMA DIFFICULTAS REMITTITUR.

VII. De prima difficultate egimus supra disp. I, art. III, difficult. III. Ibi potest latius videri. Breviter resolutio nostra est: Finem considerari posse triplici respectu. Primo, ut objectum ipsius actus interioris, seu intentionis: secundo, ut motivum, et ratio mediorum ut appetantur, quatenus media in sui appetibilitate dependent a fine, ipsumque tangunt saltem indirecte, et in obliquo; est enim medium appetibile non gratia sui, sed alterius: tertio, quatenus ex fine actus interior movet ad exteriorem, seu imperatum, illique communicat accidentaliter, et participative bonitatem, vel malitiam quam finis habet in ipsa intentione, ita quod actus præter bonitatem, quam habet ex objecto, etiam ex respectu quem habet ad finem, et ad intentionem exprimit in se, et participat accidentaliter modo ejus bonitatem, et malitiam, quam ex fine ut ex objecto habet intentio, si quidem ex coordinatione istorum actuum inter se, unus participat ab alio, nec enim stat unum actum oriri ex alio, et coordinari cum illo, nisi ex ejus influenza participet de ejus specie, sive in bonum, sive in malum.

VIII. Si primo modo consideretur, finis non est objectum, neque specificativum omnium actuum ad quos extendi potest causalitas, et imperium finis, sed tantum actus interioris, quia licet alii actus subordinentur fini, et deriventur ab eo ut a movente, finalizante, non tamen subordinantur illi ut objecto,

et ut specificanti, eo quod finis solum est objectum intentionis, electio autem, et alii actus imperari versantur circa media. Non ergo in ratione objecti communicatur aliis. Et loquimur de objecto directe, et per se attacto, nam in obliquo etiam quæ versantur circa media attingunt finem, eo quod media ad finem se habent, ad illumque ordinantur. Et in hoc adduximus loca D. Thomæ id expresse dicentis, et fundamentum ibi videri potest.

IX. Si secundo modo consideretur, finis operantis pertinere potest ad specificam rationem, et non ad circumstantiam actuum, qui versantur circa media. Hoc probavimus ibi in secunda conclusione. Neque hoc est aliud dicere, nisi quod actus, qui versatur circa media, quantumcumque essentialiter respiciat medium ut objectum, non potest præscindere ab ordine ad finem, quia medium ut medium est aliquid finis; includit ergo finem saltem indirecte, et in obliquo, tamquam ordinatum ad illum.

X. Si tertio modo consideretur, finis se habet ut circumstantia non solum respectu actus eliciti ab alia potentia, quam a voluntate, et imperati ab illa, sed etiam respectu actus ab ipsamet voluntate eliciti, dummodo sit imperatus ab alio priori actu, sicut electio ab intentione, sic enim etiam respectu actus electionis potest finis intentionis esse circumstantia, non obstante quod sit motivum, nec enim est motivum intrinsecum et specificans, sed extrinsecum et finalizans, quod etiam ad circumstantiam pertinere potest. Et tunc dicitur finis se habere ut circumstantia, quando non per se, et essentialiter est connexus cum illo actu electionis, seu cum illo medio electo, sed accidentaliter, quia posset alius finis apponi, et ex eo ad electionem moveri: sicut ad

furtum posset quis moveri ex ludo, quia furatur ut ludat, vel ex adulterio, vel ex necessitate, et sic non dependet per se ista electio, et iste actus exterior furti ab illo fine, nec ab ejus malitia, et sic accidentaliter illam participat, et tamquam circumstantiam, quia potest sine illa salvari tota ejus species, et substantia.

XI. Quare bene stat quod actus circa media per se, et essentialiter dependeat ab aliquo fine, illumque respiciat saltem indirecte, et in obliquo, quia omne medium in sui bonitate dependet a fine, et ab ejus appetibilitate, sicut colores a luce in visibilitate, et conclusiones a principiis in scibilitate; et nihilominus accidentaliter, et per modum circumstantiæ potest se habere finis operantis in quantum talis, et determinatus, quia ab illo determinate non per se dependet tale medium, vel electio, sed potest salvari sine illo, ut in exemplis allatis patet; potest enim quis ex diversis finibus, et motivis aliquid eligere modo ex uno, modo ex alio, ut eleemosynam propter vanam gloriam, vel propter Deum, etc. Quando autem finis est per se, et essentialiter connexus objecto, non respicit illum ut circumstantia, et aliquid accidentale, sed ut pertinentem ad specificationem objecti saltem inadæquate. Quæ omnia videri possunt in citato loco, ubi late tractata sunt, et argumenta in contrarium soluta.

SECUNDA DIFFICULTAS.

XII. Ad secundam difficultatem respondetur utrumque finem sive ultimum, sive inter medium dummodo sit finis operantis, et non solius operis, seu potius dummodo sit finis imperantis, et dirigentis actum imperatum ex aliqua intentione se

habere ut finem circumstantem, et dantem bonitatem, vel malitiam extrinsecam, seu accidentalem ipsi actui. Ratio est, quia quilibet finis operantis, seu imperantis tenet se ex parte intentionis, nec concurrat elicitive ad actum electionis, seu ad actum exteriorem, sed imperative; ergo non est immediatum specificativum talis operis si quidem supponit objectum ejus proprium, nec actus intentionis illius, qui est circa finem, elicitive se habet ad istud opus, sed imperative; ergo circumstantem illi moralitatem præbet; ergo est circumstantia. Prima consequentia constat, quia intentio est distinctus ab electione, seu actu exteriori; ergo habet distinctum objectum: ergo et distinctum specificativum: diversitas enim actus ex objecto desumitur. Secunda vero consequentia patet, quia objectum dat specificationem actui; ergo quando finis supponit objectum in aliquo actu, supponit etiam specificationem, seu speciem in actu (quod utique est substantia actus) ergo non præbet illam, sed id quod est extra substantiam, et speciem actus; ergo aliquid accidentale. Hoc autem est circumstantia, quia quidquid ad substantiam, seu speciem actus non pertinet, circumstantia illius est.

XIII. Quod vero talis finis operantis aliquam præbeat bonitatem, vel malitiam ipsi operi superadditam, et accidentalem, ex eo probatur, quia finis intentus, qui est finis operantis, est ratio operandi, et id unde reddimus rationem, quare aliquis actus bene vel male, pejus aut melius fiat; ergo ex fine participat opus bonitatem aliquam, vel malitiam, habendo illum pro causa, et motivo. Unde ex meliori, vel pejori intentione finis augeri bonitatem, vel malitiam, certum est; sicut ea quæ fiunt ex charitate majus meri-

tum habent, quia ad altiorem finem ordinantur, et quæ ex motivo religionis fiunt magis meritoria sunt, sicut quæ facit homo ex voto meliora sunt, quam sine illo, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. LXXXVIII, art. vi. Et tamen ista opera, quæ ordinantur ad finem charitatis, vel religionis non habent motivum charitatis, vel religionis pro objecto proximo, sed pro fine, quia ab his virtutibus imperantur, non ab eis eliciuntur, vel ab earum objectis specificantur, ut elargitio eleemosynæ, si fit ex charitate; observatio castitatis vel jejunii, si fiat ex voto; ergo finis operantis, quicumque sit sive ultimus, sive intermedius, accidentalem bonitatem, vel malitiam præbet.

TERTIA DIFFICULTAS REMITTITUR.

XIV. Ad tertiam difficultatem, quænam relatio in finem necessaria sit, ut finis influat, et moralitatem suam communicet operibus ab eo imperatis, et derivatis, diximus late supra disp. I, art. vi, et ibi distinguimus omnes istas relationes in finem, actualem, virtualem, interpretativam, habitualement. Et quanto tempore intentio, aut relatio in finem censeatur durare, ut actus ab eo influxum moralem participet, ibidem satis explicavimus; nec occurrit aliquid amplius addendum.

QUARTA DIFFICULTAS.

XV. Quarta difficultas circa finem, ejusque moralem influentiam proposita, duo involvit. Alterum, an bonitas, vel malitia orta a fine, et participata in ipso actu sit distincta ab ea, quæ participatur ab objecto: alterum est, an duplici respectu, seu tendentia ista diversa bonitas,